

2184.

THOMÆ CHRISTIAN
CARNIOLI VELDENSIS
DISSERTATIO INAUGURALIS
CHEMICO-MEDICA
HISTORIAM ACIDI
SISTENS,

QVAM
AUCTORITATE, ET CONSENSU
*Illusterrimorum, Perillustrium, Magnificorum, Spectabilium,
Clarissimorum Virorum,
Reverendissimi, Perillustris, ac Magnifici Domini
UNIVERSITATIS RECTORIS,
Reverendissimi, Illusterrimi, ac Amplissimi Domini
UNIVERSITATIS CANCELLARII,
Illusterrimi, Magnifici, ac Clariss. Inlytæ Facultatis Medicæ
DOMINI PRÆSIDIS,
Perillustris, ac Magnifici Inlytæ ejusdem Facultatis
DOMINI VICE-PRÆSIDIS,
Perillustris ac Spectabilis Inlytæ ejusdem Facultatis
DOMINI DECANI,*

D. D. SACRÆ CÆSAREO - REGIÆ APOSTO-
LICAE MAIESTATIS CONSILIARIORUM, ET AR-
CHIATORUM, NEC NON CLARISSIMORUM

DD. PROFESSORUM,
VENERABILIS DOMINI SENIORIS,
ATQUE TOTIUS AMPLISSIMI

DD. MEDICORUM COLLEGII

Pro supremis in Medicina honoribus, & privilegiis
Doctoralibus legitime obtainendis
Publicæ Disquisitioni submittit.

Disputabitur in Palatio universitatis
Mense *Majo* Die *3* M. DCC.LXXI.


Typis Leopoldi Joannis Kaliwoda,

hemia.

300,18.

Vol 3, 27.

Accidens.


THESES.

I.

Habent glandulæ in centro foliculum.

II.

Pulpa nervea est congeries subtilissimorum
canaliculorum.

III.

Naturalis ac placidissimæ respirationis organum
est Diaphragma.

VI.

Ad primam inspirationem id solum sufficit,
ut aeri liber in pulmonem ingressus con-
cedatur.

V.

Datur forte etiam quædam in masculo sexu
menstrua plethora , quæ potissimum per
vias uropoeticas evacuatur.

VI.

In Embrione nulla pars organica altera prior
existit.

VII.

Quocunque tempore abortus procuratur , ho-
micii crimen admittitur.

VIII.

Generalis morborum divisio aptissima est illa ,
quæ hos in febriles , & non febriles di-
spescit.

A 2

IX.



IX.

Febris consistit in pulsu citatiore & calore
auctiore , tanquam effectibus a causa mor-
bifica vel in toto vel in parte ad se ipsam
expugnandam concinatis.

X.

Non ergo extingueda est Febris , sed mode-
randa , immo augenda quandoque , donec
causam morbificam expugnet.

XI.

Calor aliam in corpore præter attritum agno-
scit causam , forte humorum in putredinem
nisum præsertim in febribus putridis.

XII.

Frigus febrile a spasticis nervorum affectioni-
bus oriri videtur.

XIII.

In summo paroxismi vigore partes nervosæ
spasmodicis contractionibus tentantur. Tum
palliativa solum cura locum habet.

XVI.

Nervosum systema circa vesperam irritatu- ,
mane vero spasmis remittentibus omnes viæ
ad excernendum aptiores evadunt. Opiata
igitur in regula melius circa tempus noctur-
num , evacuantia matutino tempore admini-
strantur.

XV.

Aegrorum animos prudenter erigere est dimi-
diā sæpe curationis partem absolvere.



R este quidem omnem sermonem a definitione illius rei, de qua differere decreviimus, exordimur, ut res ipsa, de qua agitur, perspicua reddatur omnibus, & quodam veluti lucidum punctum constituitur, ex quo reliqua, quæ, quia sæpe a principio sunt remotiora, ceterum minus cohærentia, immo avulsa penitus, falsaque viderentur, uberrimis quasi radiis collūstrentur. Nemo tamen illud mihi oneris imponet, ut Acidī definitionem præmittam. Adeo enim simplex est illius idea, ut verbulo tota exhauiatur, adeo præterea intimo cuique, qui aliquoties gustavit, sensu perspecta, ut dum Acidū enuncio, confessim unusquisque, quid cogitem, in-

A 3

tel-



telligat. Sunt nempe quædam, eaque non pauca, in rerum natura simplicia sensuum objecta, communi manifesta judicio, atque in vulgus nota, quibus verbosior explicatio parum aut nihil lucis adserit, tenebrarum non raro plurimum offundit. Licet vero Acidum stricte definiri, nisi ingeniosæ hypothesi indulgere quis velit, nec possit, nec debeat, admittit tamen definitionem quam vocant, accidentalem, in qua proprietates, affectionesque hactenus detectæ, atque virtutes eidem propriæ describuntur. Hanc ego definitionem, quam traditurus sum, Acidi historiam appello. Ut autem in hac Acidi historia recto, quantumquidem fieri potest, ordine procedam, primo, quæ eidem in genere cum proprietates, tum virtutes conveniunt, succincta oratione complectar, deinde ad singulas Acidi species, qui præcipuus est dissertationis meæ scopus, descendam. Sit itaque :

PARS PRIMA DE ACIDO IN GENERE.

SECTIO PRIMA DE PROPRIETATIBUS ACIDI.

Proprietates, quæ Acido in genere conveniunt, ad sequentes fere reducuntur :

Pri-

Primo : Linguæ , si quidem gustus organum bene constitutum , & anima sensu intenta sit , saporem acidum imprimit.

Secundo : In aquam suscipitur , & in ea æquabiliter dissolvitur.

Tertio : In succos vegetantium cæruleos eam vim exercet , ut rubrum illis colorem inducat , si nec succi nimium densi sint , nec Acidum nimis forte , quod colorantes particulas comburat , adhibeatur.

Quarto : Cum salibus alcalicis cum aeris expulsione , si superfluus insit , qui expellatur , confligit , variaque cum iis salia media , mutuæ solutionis , saturationisque soboles , enititur , & quidem cum fixis fixa (a) , ammoniacalia , sive semi-volatilia cum volatili (b) .

Quinto : Cretam , corallia , lapides cancrorum , perlas , matrem perlarum , ostracodermata , calcem utramque , terras varias , & metalla dissolvit , unde sales terrestres , natra (e) sales metallici diversi (d) , vel etiam corpora austera , acerba , adstringentia (e) exoriuntur.

A 4

Sex-

(a) Vide Tab. I.

(b) Vide Tab. eandem

(c) - - - -

(d) Vide Tab. II.

(e) Exemplo sint fructus omnes immaturi , succi varii acaciæ , berberis , cornorum , granatorum , hypocistidis , omphacium , catechu , terræ bolares &c.



Sexto : Accurate , et ad saturantein mensuram , metalla si demas , corporibus modo recensitis , alcalicis nimirum salibus , & terræ calcareæ unitum acrimoniam pristinam omnem amittit , ut satis mite ex hoc connubio remedium , & innocuum enascatur .

Septimo : Vim acrem plantarum antiscorbuticarum infringit : Sic raphanus rusticanus aceto , vino , cerevisia ci curatur , & acetosa cum cochlearia tolerabili conformatio copulatur .

Octavo : Cornua , ossa , ungues arrredit , emollit , dum terrestrem in illis partem dissolvit .

Nono : Cum glutinosis oleosis substantiis in speciem saponis , aquæ miscibilis , unitur , exemplo succorum vegetabilium dulcium , acido dulcium , saponaceorum .

Decimo : Corporum , quæ non dissolvit , compagem intimam firmat , & corruptionis putridæ progressum , quæ cunctinimarum partium omnimoda disjunctio ne , & omnis aeris fixati extricatione contingit , inhibet .

SECTIO SECUNDA.

DE VIRTUTIBUS ACIDI.

Virtutes Acidi in corpus vivum ex cognitis ejusdem proprietatibus derivantur , quæ si observationibus quoque pra-

practicis, fidelissimis confirmantur, eo mi-
 nus poterunt in dubium revocari. Itaque
 nunc de Acidis in genere virtutibus casto
 ratiocinio sermocinabor. Acidum, quia
 distinctum a simplici tactu linguae sensum
 imprimit, non infimum est saporis instru-
 mentum, & quia hic sensus mitis est, &
 cum refrigerii quadam perceptione con-
 junctus, facit potum, & cibos cum sanis
 temperamenti sanguinei, & biliosi, tum
 ægris præsertim acutis, ceterum omnia re-
 pudiantibus, gratos, & reficientes, & ne
 nunc adhuc dicam, salutares. Suscipitur
 in aquam Acidum, & cum oleosa muca-
 gine saponis speciem componit. An igitur
 mirum cuiquam videbitur diureticam
 eidem virtutem inesse? Dum enim cum
 aquosa sanguinis parte cum ad alia secreto-
 ria cola, mucosa colluvie infarcta, tum præ-
 cipue majoreque copia ad renum fabricam
 deducitur, oleoso glutini radios arteriosos,
 & bellinianas fistulas obsidenti nubit, illud-
 que in ipso, in quo advehitur, latice solu-
 bile reddit, ut sic expeditum uropoeticum
 organum Acidis præterea, vel novi sapo-
 nis stimulo agitatum inimicas aquarum un-
 das & uberiorum, & velocius extra corpus
 eliminet. Quum vero in muco nephri-
 ticum fabulum e terrestrium particularum

A 5

adu-



adunatione generatum niduletur, & futurorum in eo radicentur calculorum tristissima rudimenta, eadem ex ratione, & quia Acido terreorum dissolvendorum vis insidet, in calculosa dispositione quid potest esse hujus remedii virtute prætantius?

Sed ne prolixior sim in hac dissertationis parte, unam adhuc nobilissimam Acidi virtutem antisepticam attingam, cuius virtutis imaginem sic pingit immortalis Boerhavius (f) “ Ea indoles est, inquit, sal alium nostrorum urinosorum, ut sal alcalinus fixus uno momento illos ita mutet, ut aliter ingens ignis actio præstisset. Hinc etiam scitur alcalinos fixos sales humoribus nostris permistos eosdem statim reddere acres, alcalinos, mobilissimos, volatiliores ipsa aqua nostra, ipsis nostris spiritibus, illisque igneain rodendi facultatem impertir, inque putredinis naturam convertere quam subitissime. Si Acidis permiscetur, ebulliunt effervescendo quam violentissime, imprimis si simul concutiuntur. Tumque domantur ita mutati, ne porro acres sint. Mutantur, ne alcalini vel ignei maneant, figuratur

(f) Chem. oper. Tom. II, pag. 314.

„ tur , ne calore sani corporis avolent.
 „ Amittunt vires agendi alcalinis pro-
 „ prias volatilibus , imprimis dissolvendi
 „ lethali fere attenuatione humores cor-
 „ poris. . . . Quæ quidem omnia per
 „ experientiam jam nota veteribus. In
 „ febribus cum calore , & motu auctis
 „ Hippocrates Acescentia , vel aperte
 „ Acida sola admittebat in cibo , potu ,
 „ medicamentis. Exitialia alcalia fixa no-
 „ stro in corpore , quoties ibidem ar-
 „ dor , motus , odor urinæ gravis , color
 „ flammeus , copia parva , nimis dissolu-
 „ tus humor. Quanto igitur damno in
 „ his tales sales adhibentur , maxime in
 „ peste. “

Verum enim vero quanto tunc ægro-
 rum commodo Acida propinantur ! Hæc
 enim effectum exerunt alcalinis prorsus
 contrarium : putredinem aut futuram præ-
 cavent , aut sistunt , corriguntque præsen-
 tem , æstum febrilem , ex attritu , & hu-
 morum in putredinem nisu productum ,
 perque omnem late machinam furentem
 temperant , humorum inflammatoriam spis-
 fitudinem dissolvunt , eorum vero in intima
 globulorum compage cohæsionem vel con-
 servant , vel restituunt , ut tacitam relin-
 quam illam computræscente in tubi alimen-
 ra-



taris faburram , quæ pulchre Acidorum , vel Acesentium virtute vel invertitur , vel impeditur.

Sed demum, ut nihil silentio præteream , sua etiam Acidum infamia notatur. Nam concentratum illud , vel non sufficienter dilutum atrocissimum est vivo corpori venenum , cito partes , quas attingit gangrenosa corrosione destruens. Sed & dentes denigrant Acida cum primis fossilia. Quamvis idem efficiat etiam vegetabilium Acidorum creber usus , dum sensim crustam arrodunt adamantinam. Novi venustissimas puellas plenas ceterum vivacissima sanitate , quæ aurantiorum , citreorum , limoniorumque abusu candidissimum dentium nitorem perdiderunt. Recte præterea subtrahuntur Acida , & sub quorum subdolo dulcore rodentis Acidi virus delitescit , faccharina tenellis infantibus , ne debiti roboris incrementum , ossium ie genesis retardetur , tum cacheoticis , debilibus , levycoplegmaticis , chloroticis , ne debilitentur adhuc magis solida , calor nativus extinguitur , bilis enervetur , dein rachiticis , Acido , acidaque primarum viarum diathesi laborantibus , qui que medicamentis utuntur ex antimonio , mercurioque confectis.

Nul-

Nullis denique laudum encomiis fatis
concelebranda est materna AUGUSTIS-
SIMÆ MARIÆ THERESIÆ cum in
ceteris omnibus, tum in hoc etiam genere
solicitudo, quæ nuper admodum utensilia e
stanno plumboque remixtis conflata publica
severissimi decreti authoritate suis e terris
proscriptis. Triginta enim plumbi pondo in
centum stanni libris præsentia, Accidorum
frequenti attacitu corrosa, Deum immorta-
lem! quantam sensim saturnini salis co-
piam mortalium in nervos ingerunt? Uni-
versim tamen humanæ naturæ magis con-
ducunt Acida, & Acesentia, quia jam vi-
vi tendimus in putredinem. Et forsitan
inter alias admirandæ illius ante dilluvium
longævitatis causas non infima illa fuit,
quod primi mortales solis viverent vege-
tabilibus, Acescentibus, vel Acidis.

Sed hæc de Acido in genere dicta
sufficiant. Unusquisque autem facile ipse-
met perspiciet commemoratas haec tenus
proprietates, ac virtutes omni quideam
Acido, uni tamen magis, quam alteri con-
venire. Nunc itaque supereft, ut ad sin-
gulas Acidi species seorsim pertractandas
transeam.

PARS

PARS ALTERA
DE ACIDO IN SPECIE.
SECTIO PRIMA.

DE DIVERSIS ACIDI SPECIEBUS.

Propterea ihi quidem Acidum purum , seu quod propriæ Acidum est , in universa rerum natura unum prorsus esse , idemque videtur , ut proinde sic consideratum nullas sub sece species contineret . Ponamus autem hoc universale Acidum diversis , nobis ignotis substantiis intime uniri , & in ipso naturæ gremio specificari , diversæ Acidi species , seu ut melius dicam , formæ in lucem prodibunt , quæ diversis non puri ipsius Acidi , sed ex unione hujus , & accessorii corporis ortis proprietatibus inter sece discrepabunt . Ita prorsus quemadmodum olea plantarum essentialia , non nisi quibusdam heterogeneis , in quæ vis planta sibi intime admixtis , præcipue ero proprio cuivis plantæ rectore spiritu distincta esse non omnino paradoxum est existimare . Et jam convenit inter multos magni nominis chemicos , quorum sententia celeberrimi etiam Ctantzii (g) assensu fir-

(g) Tom. II. M. M. pag. 99.

sirmatur , Acidum nitri non per se , sed quo specificatum est , salium alcalinorum phlogisto a vitrioli Acido differre. Quid quod jam pridem suspicatus est Boerha- vius (b) vegetabilium Acidar suam fossili- bus Acidis originem debere ? Interea ve- ro dum hancce opinionem tantum proble- matis instar propono , nemo a me exigat , ut illam convincentibus confirmem argu- mentis , sed potius contrarium probandi onere in litigiosos entium multiplicatores translato ad ulteriora progredior.

Acidum vero in quolibet naturæ re- gno reperitur. Est proinde omnium pri- mo triplex Acidum : Vegetabile , Anima- le , Fossile.

Quemadmodum autem tria hæc Aci- da inter se se differunt ea forte , qua paulo ante innuebant , ratione , ita quodvis ho- rum inferiores adhuc species sub se com- prehendit , & quidem Acidum Vegetabi- le continet I. Acidum nativum. II. Aci- dum Sylvestre. III. Acidum vinosum. IV. Acidum acetosum. V. Acida ustū , destil- latu , sublimatione obtenta.

Acidum ANIMALE comple&t;titur :
I. Acidum microcosmicum. II. Acidum in- fectorum.

Aci-

(b) Chem. op. Tom. I. pag. 804.



Acidum fossile abit I. in Acidum salis.
II. in Acidum nitri. III. in Acidum vitrioli.
IV. in Acidum salem succini.

SECTIO SECUNDA DE ACIDIS REGNI VEGETABILI- LIS SEORSIM SPECTATIS.

I. ACIDUM NATIVUM.

Acidum vegetabile nativum illud apel-
lo, quod in vegetabilibus citra fer-
mentationis beneficium existit in quibus-
dam manifestissimum, occultum magis in
quibusdam. Videtur autem oriri ex illo
succo solo, quem hauriunt plantæ de ter-
ra nutrita. Ita acetosa, acetosella, tri-
folium acetosum, pulpa tamarindorum,
fructus plerique horæi, pulposi manife-
sunt Acidi. In omni etiam succo, qui ver-
no tempore, dum sua stirpibus vita redit,
perfecte Acidum hoc obtinet fere eto-
sum. Succi vero hi liquidissimi, cidi,
pressi, colati, inspissati, in quiete repositi
coguntur in crystallos salinas, crystallis
tartari simillimas, quales ex acetosa pro-
stant in officinis. Et ex Tamarindis ex-
tractus est sal essentialis acidus, cuius sin-
gulares dotes adumbravit celeb, Crantz(i).
Ve-

(i) Tom. II. pag. 220. & seq.

Vegetabilia Acido hoc Nativo præcipue manifesto , vel saltem facile evolven-
do donata egregia sunt antiscorbutica , vel
sola , si perspecta est scorbuti indoles , vel si
hæc dubia est , cum plantis cruciformibus
combinata , licet demonstrante clarissimo
Hænio (k) nulla prope vegetabilium sit
classis , qua non ejusdem etiam naturæ scor-
butus aliquando fuerit percuratus , modo in
cibo , potu , medicamentis magna copia
sumerentur , Idein (l) .

Sed vegetabilia hæc aperte Acida , vel
Acesentia adhuc magis antiphlogistica sua ,
& antiseptica virtute commendantur , hinc
in acutorum cura principem sibi locum
jure merito vendicant : inde enim confi-
ciuntur potus ægris gratissimi , tutissimi ,
saluberrimi , qui æstum febrilem , sitimque
jucundo compescunt refrigerio , sanguinis
phlogisticam spissitudinem vi sua saponacea ,
ac solventissima attenuant , fundunt , rigi-
da emolliunt , putridi , et intimam sanguini-
orum globulorum compagem dissoluturi
miasmatis genesin inhibent , putrem tubi
intestinalis faburram corrigunt , vomitu-
ritiones tollunt , appetitum restaurant , bi-
lis

(k) Loc. citato §. V.

(l) Tom. VIII. rat. med. cap. IV. de scorbuto.



les acrimoniam temperant, & funestas sæpe symptomaticas diarrhæas vel anteverunt, vel moderantur. Nolim hic quisquam existimet, me, qui Magni Boerhavii, id est, Hippocratis in schola enutribus sum, Magistrorum in verba jurare, & secundum hypothesim quandam gratis assumptam ratiocinari. Observationibus pugno certissimis, quæ a primis inde nascentis Medicinæ incunabulis ad nostra usque tempora rei veritatem confirmaverunt. Non ego hic ad illustria divini Hippocratis (*m*), Sydenhami (*n*), Boerhavii (*o*), Liberi Baronis Van-Swieten (*p*), Huxhami (*r*), Antonii de Hæn (*s*), loca, perpetuo, & admirabili quodam consensu immortalibus eorundem operibus inferta provoco. Taceo illustres Baglivos, Hoffmannos, Oosterdyk Schachtios, Homeos, Platneros, qui ubique uno cum prioribus or. lo-

q in-

(*m*) Libro de vietus ratione in morbis acutis.

(*n*) Observat. med. sectione VI. cap. III.

(*o*) Aphor. 394. 610. 640. 644. 692. 693. 743. 809.
849. 854. 866. 873. 890. 924. &c. &c.

(*p*) In commentariis ad mox citatos aphor. Boerhavii.

(*r*) Libro de febribus C. I. & in dissert de Pleurit. & Peripneum.

(*s*) Tom. I. rat. med. Cap. II. & passim in suis operibus.

quuntur, Quid antiphlogistica hæcce curandi methodus possit, quam sola illa & rationi & experientiæ sit consentanea, me non ex lectione librorum sola, non ex cathedra didicisse, sed ad lectos ægrorum, quos in nosocomio practico per triennium diligenter accessi, expertum gratus recordor.

II. ACIDUM SYLVESTRE.

Antequam ad Acidæ fermentationis ope producta transeamus, paucâ de Acido Sylvestri, quod Gas Sylvestre Helmontius appellavit, ex Boerhavio proferam. “ Sed „ in his Acidis animadvertere oportet, in- „ quis vir summus (*t*) Acidæ fermentan- „ tia, quæ que quidem vocamus succos „ vegetabiles in ipso jam fermentationis „ actu medios quasi inter nativum, & in- „ ter acquisitum fermentatione prorsus „ absoluta statum. Hoc nimirum tempo- „ re facultas paratur maxime elasticæ par- „ ti fermentantis liquidi, cui in rerum „ natura me sciente, nulla similis. Si e- „ nim sylvestris hic, nec coercendus spi- „ ritus Acidus & explosivus de ingenti „ copia fermentantis vegetabilis per exi-

B 2 guum

(*t*) Oper. Chem. Tom. I. pag. 806.



„ guum in vase spiramentum ferit nares
 „ hominis fortissimi, uno eum i&tu exa-
 „ minat. Sin minus fortiter afficit, tum
 „ apoplexiam creat subitaneam, si levissi-
 „ me, vertiginem. Quæ quidem omnia
 „ funestissimis eventis constiterunt. „
 Scio quidem multos aliter longe de vene-
 ni hujus natura sentire, quos inter cel.
 Spielmannus (u). Ego vero a tanti viri
 idea recedere non sum ausus. Locus ve-
 ro citatus, quem solum pro parte huc
 transtuli, integer legi meretur.

III. ACIDUM VINOsum.

Vegetabilia in aere libero, humido,
 calido sibi relicta notabilem mutationem
 subeunt motu aliquo in ipsis excitato inte-
 stino, qui fermentatio compellatur. Sed
 id qua potissimum re motus hic intestinus
 consistit? Ego quidem hancce habeo illius
 ideam: aer atmosphæricus intra mir
 tissimas vegetantium particulas aquos vehi-
 culi beneficio sese insinuans calore expan-
 ditur, & intimorum nexuum resolutionem
 inchoat, quo posito aer fixus libertate po-
 tiri, extricari incipit, inque ipsa suis e car-
 ceribus fuga elasticus fit, & mox majore
 do-

(u) Pag. 331.

donatus volumine , continuata partium , quam aer atmosphæricus inchoavit , resolutione erumpit . Motus igitur hic intestinus in hac resolutione nexuum , & in hac excarcerati aeris fixi , elasticí facti , eruptione consistit . In hoc motu videtur contineri ratio sufficiens , cur attenuentur sales & oleum , quæ prius speciem saponis constituebant , & cur Acidum , si copiosum delituit , evolvatur . Ita vero hoc motu mutantur succi vegetabilium , ut inde primo vinum , & deinceps ex hoc continuata fermentatione acetum enascatur . Sunt igitur duæ species fermentationis , vinosa altera , altera acetosa . Alii , sed nescio , an absque insigni idearum confusione , putrefactionem quoque , & fatiscentiam mineralium , & efflorescentias varias , vapescientiam denique ad fermentationem revocant . Non tamen omnia vegetabilia fermentationis æque sunt capacia . Ita tota plantarum cruciformium , acrion , amararum , antiscorbuticarum familia propter Acescentiæ defectum ex sua indole in putredinem est proclivis . Sthal (v) , Boerhave (w) . Spielmann (x) varias vegetabili-

B 3 um

(v) Zymothech . C. III . pag . 29 .

(w) Op . chem . Tom . II . pag . 158 & seq .

(x) Pag . 329 .



um classes, quæ fermentationi vinosæ aptæ sunt, recensent.

Quoniam vero vinosæ fermentationis primarius effectus est spiritus ardoris productio, secundarius Acidi evolutio, nihil de illo commemorabo, de hoc quædam ex Boerhavio adducam. „ Fermentatio autem, inquit ille (*y*), videtur provehere magis, magisque Acidum occultum vegetantium. Succi enim maxime maturi, dulcesque vegetabilium nihil fere Acidi videntur habere, ut in succo uvarum presso clarum est. In cassia, manna, melle, saccharo quis deprehendit Acidum? At quoties hæc rite fervent spumante motu, statim Acidum educuntur, apparetque imprimis subtiliore inde vino reddito. In cerealibus, farinosis maturis an illum quidem apparet acoris signum? Vix fermentatio brevis hæc agitavit, omnia statim acer. Quamvis nata sic Acida alterius sint, & naturæ subtilioris, quam quidem nativa, licet deinceps Acida sic producta vino sa appellare. Quæ rursum duplicis sunt ordinis. Vel enim liquida vini acidi forma in vino oberrant, vel in vino ipso se

(*y*) Op. chem. Tom. I. pag. 777.

„ se colligunt , atque superficiei cadi se
„ affigunt Tartari solidi nomine. „ Li-
cet vero & hydromel , & cerevisia , & suc-
cus pomorum , pirorum , omnesque suc-
ci vegetantium primam fermentationem
passi totidem sint vinorum species , ego
iamen orationis vela contraham , & de
succo solum uvarum fermentato , qui per
excellentiam vinum dicitur , disputabo.
Atque nunc quidem illud solum ad sco-
pum meum pertinet , ut vinum non qua-
spirituosum illud , & inebrians , sed qua-
tenus Acidulum est , acidumque vini La-
pidem prosequar.

Inter vīna Acidula præcipua sunt :
Austriaca , Mosellana , Rhenana , licet & in
aliis hinc inde regionibus vīna Acidula ,
proveniant . Ne vero hæc vīna continuata
fermentatione in acetum transeant , dolia ,
quibus illa immituntur , sulphuris accensi
vapore imbuuntur . Sic enim aeris atmos-
phærici elasticitate destruēta , hujus & aquæ
in sollicitandas moleculas nīsus imminuitur .
In regionibus vero calidioribus sive uvas
contusas ante expressionem calce viva ob-
tegunt , sive mustum coquunt , ut aquæ co-
pia imminuta fermentationis justo major
ob fervidum cœlum impetus diminuatur .
Clarificantur vero hæc vīna ichtyocolla ,

B 4

vel



vel albumine ovorum , his sese jungit fæcum portio , quæ dispersa per omne vini volumen ob paucitatem descendere ad fundum nequivit. Vinum Austriacum montanum præfertur illi , quod in planicie , & ad oras Danubii crescit. Et montana rursus pro vario montium situ inter sese differunt bonitate. Iterum vina Austria , quo vetustiora illa sunt , eo majore in pretio habentur , denique si pura sint , neque aut vino alio molli , dulcique , aut execrando Saturni saccharo adulterata. Mediæ tamen ætatis quæ sunt , mihi quidem quoad virtutem Acidi præstantiora videntur , & palam vetustissimis præripere , quæ generosa nimis evadunt , & cum calore stimulantia. Præcipue vero diuretica sese virtute commendant vina tenuia , Acidula , si vel sola bibantur , vel diureticis actuata remediis. Deinde vini tenuis , Aciduli , multa aquæ copia diluti ea etiam est virtus , ut sitim extinguat , gratumque corpori refrigerium conciliet. Neque puto talem potum vel in ardentissima febre semper posse prohiberi.

Vina vero medicata usu sese egregia demonstrant cum in multis casibus , tum præsertim , quatenus Acidula sunt , in calculosa dispositione , & hydrope. Absolu-

lutissimum Vindobonensis Medici Francisci Hartmanni opus, quod diu ante desideratum, anno tandem proxime præterlapsò Lipsiæ prodīvit, continens formulas remediorum in Materiam medicam, & chyrurgicam celeberrimi Crantzii, plurima vina medicata proponit, inter quæ illa (z) huc spectant, & videri merentur.

Supereft, ut de Acido vini Lapide agamus. Cessante visibili fermentatione, sed ea insensibiliter continuante excutiuntur quaquaversum particulæ micantes, ex quibus in dolii lateribus crusta lapideæ consistentiæ, in vino non amplius solubilis exurgit. Est hæc crusta Vini Lapis, Tartarus dictus Paracelso. Vina dulcia vix, copiosius Acida deponunt. Tartarus colorem vini, ex quo præcipitatur, servat. Solutione in aqua ebulliente, & filtro a quisquiliis, fæcibus, particulis terrestribus, & oleosis depuratur. Lixivium evaporatum, refrigeratum ejicit sursum pelliculam, seu cremorem, ad latera & fundum maiores Crystallos deponit. Tartarus proinde Crudus, Cremor Tartari, & Crystalli

(z) Nis. 161. 232. 362 384. 446. 855. 898. 900.
916. 925. 934. 1076. 2087. 1214. 1252. 1557.
1621.



stalli Tartari non nisi puritatis gradu differunt. Tartarus, & Cremor, & Crystalli omni nota sunt Acida. Est igitur Tartarus sal vegetabilis essentialis e succis vegetabilium fermentatis excussus. An vero merum sit Acidum, vel potius alcali fixum vegetabile Acido vini supersaturatum, non decidam, licet posterior sententia, a Spielmanno (aa) Tachenio, Hoffmanno, Neumanno, Stahlio rejecta, ab illustri Marggraf (bb) & perspicacissimo Iacquin (cc) gravissimis corroborata rationibus videatur.

Cremor, & Crystalli Tartari, uti & alii sales vegetabilium essentiales, qui Acidum linguæ saporem imprimunt, acrimoniam alcalinam corrigendi, nec non mucum incidendi ergo exhibentur. Dantur ideo ad scrupulum S. unum sæpius de die ad ventriculi, intestinorumque totum restituendum in cachexia, in febre præfertim tertiana, quartana, & dum bilis putrida febres acutas exasperat, eximie se gerunt. Cremor Tartari ad unciam semis, unam

(aa) Pag. 256. & seq.

(bb) Chemische Schriften pag. 186.

(cc) In collegiis public. Vindobonæ.

unam sumptus per se alvum movet, leniterque subducit. Sed & propter mitem acorem suum cum fortioribus jungitur catharticis, præsertim si hæc biliosis ordinentur. Cum primis vero illa ingreditur purgantia, quæ sæpe cum ventris tormentibus effectum exerunt, ut senna, scammonium, & similia. Præterea ad refrigerantium classem pertinet, unde sæpe solus hunc in finem exhibetur, præsertim si consultum est alvum simul apertam tenere. Prostant in officinis Trochisci de Cremore Tartari, qui ore detenti egregie sitim ægrorum fallunt. Denique & in Hydrope egregium remedium inventus est Tartarus purificatus ad minimum unciæ dimidiæ dosi omni die. Cel. Crantz (*dd*), Hartmann (*ee*).

IV. ACIDUM ACETOSUM.

Liquor vinosus, si continuatæ, vel novæ fermentationis calidæ motu agitur, consumpto Tartaro, & subiecta parte propria oleosa, seu spirituosa, longe potentiorem, magisque constantem acorem nanciscitur. Hic secundæ fermentationis mo-

(*dd*) Tom II. M. M. pag. 137.

(*ee*) No. 1093.



motus Acetificatio, liquor vero, hac productus, Acetum vocatur. Sed & vina dulcia secunda hac fermentatione, & quidem satis cito, æstivo cum primis tempore in Acetum transeunt, evidentis sane arguento, Acidam in iis partem non defuisse, sed delituisse. Si enim vel solis ardore excoquuntur in vite botri, vel e succo uvis expresso pars aquosa coctionis abigitur beneficio, exiguum prima fermentatio mutationem inducit, seu rectius ut loquar, non absolvitur. Hinc fit, ut pauca Acidi nativi in dulcedine profunde sepulti quantitas evahatur, & haec ipsa, quæ educitur, oleosa vini parte demulceatur. Acetificatio contra evehit Acidum omne, subactoque spiritu ardente denudat, atque exaltat. Quum vero Acetificatio calida sit fermentatio, qua vinosus liquor corrumptur, vina calidiorum regionum dulcia cuncta conservare cupit, in atmosphæra, cum potest esse, frigidissima detineat. An autem inter Aceti principia vini Tartarus, & spiritus ardens? Lis nondum est decisa. Acetum in usus chemicos vel destillatione, vel congelatione, sed melius juncta utraque methodo concentratur. Fortissimum vero ex viridi æris artificiali per destillationem obtinetur. Sed concentratissimo A-
ceto

ceto chemicus indiget, non medicus. Itaque his missis ad Aceti virtutes me convertor.

Et si vero de Aceri viribus more suo nervose scripserit optimus Crantzius (ff), illudque in febribus putridis exantematicis, biliosis, in corruptione mortifera, gangrænōsis reptatibus, ulceribus putridis, cancro clauso, in debilitate, languore, lethargo, sopore, syncope, convulsione, malo hypochondriaco, hysterico, temulentia, in morbis malignis, peste, morsu virulentorum animalium, hydrophobia, orthopnœa variolosa, inflammatione mammarum, obesitate nimia, scorbuto, in Stupore a narcoticis plantis inducto commendaverit, vario pro re nata modo interne, externe, potu, fôtu, vapore applicandum, quam in rem confer laudatum Hartmannum (gg), tamen adjungam quædam, quæ ipse de hujus Aci- di virtute sum expertus.

Puero novem annorum gena dextra enormiter intumuit. Tumori farinis, floribus intra facculos conclusis, calidis, camphora actuatis frustra tentato Acetum ci-
to

(ff) Tom. III. pag. 5. & seq.

(gg) A Nro. 1458. ad 1475.



to medebatur , ea quidem lege , ut s̄epius intra diem gena acetosi vaporis balneo exponeretur , fricaretur deinde leniter , reliquo autem tempore linteis calente oxycrato imbutis foveretur. Acetum specifice est sudoriferum , hinc potui theato admixtum copiosum sudorem prolicuit etiam in iis , qui ceterum minime erant ad sudandum propensi. An igitur in morbis a perspirabili suppresso exortis nullus Ace-
to locus ?

Dum coryza, pr̄fertim recens, membranam tumefacit schneiderianam , vias ex antris Hygromorianis , & frontalibus Sinibus in cava narium patentes præcludit , totum denique olfactorum organum infarcit , malo in fauces & traheam descendente , nihil habetur calentis oxycrati vapore excellentius , qui ore , naribusque admissus momentaneum fere levamen adfert. Idem vapor in anginis inflammatoriis mihi , aliisque mire proficit , sed & pulmone crebro susceptus in catarrhos a febre , pr̄fertim hac hyeme epidemica mirifice juvit. Licet enim tuſſim proprio subtili stimulo exasperet , tuſſis tamen causam , ejusque ad inflammandas bronchiales arterias proclivitatem emendat. Lætus adhuc , & jucundissima plenus voluptate re-

cor-

cordor egeni famuli , quem nuper admordum acutissima inflammatoria febris in lectum conjecit. Commiseratione ductus accessi. Pulsus erat velocissimus , tensus , respiratio cito , anxia , spiritus fervidus , atque densus , vultus ruber turgebat , lingua alba , appetitus nullus , sitis ingens , vires prostratae. Erat jam quartus morbi dies. Signa coctionis nulla. Majore forsan molimine curam inchoasssem , nisi hominis paupertas prohibuisset. Missò igitur sanguine pleno & flumine & modo , & repetita post trihorium ex eodem foramine phlebotomia , solum oxycratum copiose potandum exhibui , & citra ullum aliud remedium paucos intra dies sanavit eum Dominus.

V. ACIDUM USTIONE, DESTILLATIONE. SUBLIMATIONE OBTENTUM.

Ustione. Si lignum viride luculento foco imponitur , utroque extremo extra focum porrecto , ignis medium ligni exagitans humores ibi contentos fundit , tum specie aquæ cum sibilo & spuma extra ejusdem extrema propellit. Qui liquor omnes Acidi proprietates exhibit ; inde scitur ratio , cur fumus ligni maxime adhuc virescentis oculos urat tanto dolore ,

Hoc

Hoc ipsum quoque Acidum carnes fumo expositas rubro colore tingit, conservatque a putredine, & ranciditate. Est nempe hoc Acidum quam simillimum iis, quæ naturalia existunt in arboribus plerisque. An Acidum hac methodo obtentum singulari quapiam dote gaudeat, non ausim determinare, licet audiverim agricolis Acidis hac spuma serpigines curari, & verrucas.

Destillatione. Nullum propemodum est vegetabile, si classem plantarum cruciformium excipias, ex quo per destillationem major minorve Acidi copia non elicatur. Ligna durissima, aromata, gummi, resinæ, balsami, cera, saccharum, mel, & innumera alia dimittunt liquorem acidum, rubellum, valde acidum, prorsus singulare, balsamicum utcunque, & oleosum. Hoc Acidum si colo, quie, rectificatione dieta, depuretur, prodet vim solventem egregiam. Quin & in corpore quoque humano mira pollicetur attenuando, condiendo, stimulando, putredini resistendo, hinc per urinæ, fudorisque vias expellendo. Ita fere Boerhave (bb).

Sub-

(bb) Oper. chem. Tom. I. pag. 809.

¶ ¶ ¶

Sublimatione. Benzoe gradu caloris,
 quam sit aquæ bullientis , paulo majori ,
 spargit e sinu suo flores niveos suaveolen-
 tes , volatiles , salinos , acidos , inflammable
 biles , in aqua & spiritu vini solubiles . Eos-
 dem & Styrax largitur . Et quid obstat ,
 quo minus Camphoram ipsam dicamus
 Acidum vegetabile olei essentialis in vascu-
 losa Lauri Japonensis , & Sumatreæ fab-
 rica singulariter elaborati connubio speci-
 ficatum ? Forsan inde reddi ratio haud ob-
 scura posset , cur Camphora tam excellens
 sit in gangræna medicamentum . Sed ni-
 hil de hac dicam amplius , ne alienam in-
 messem , quæ sub clari in arte viri (*) inda-
 gatrice diligentia maturescit , falce in ante
 tempus mittere videar . Flores vero Ben-
 zoes multum stimulantes , incidentes in
 pulmonum infarctu , asthmate pituitoso
 efficaces , gr. III. IV. VI. etiam X. dosi ,
 non pulveris , ne fauces exurant , Sed pil-
 lularum forma cum aliis una indicatis ex-
 hibentur . Cl. Crantz (ii) , expertiss. Hart-
 mann (kk) . Atque sic quidem Acidorum
 vegetabilium ordine absoluto ad animalis
 Acidi considerationem deducor .

C SE C-

(*) Cel. Collin.

(ii) Tom. I. M. M. pag. 177.

(kk) A Nro. 487 ad 493.



SECTIO TERTIA.

DE ACIDIS REGNI ANIMALIS.

I. ACIDUM MICROSCOMICUM.

Dicit quidem Boerhavius (*ll*) “Acida, quæcunque fuerint vel in vegetabilibus, aut in fossilibus, propria animalibus necdum novi. Hodie tamen de Acidi animalis existentia adeo convenit inter chemicos, ut vix ullum reperias, qui neget. Nihil autem hic comminiscar de variis acidis, quæ in corpore vivo praeter naturam generantur, acrimoniosis, spontanea scilicet, atrabiliaria, rachitica, scorbutica, & in quam aut salivalis, aut pancreaticus latex aliquando degenerat, neque de illo milliarum prodromo sudore, acidum odorem spargente. Sed illud primo considerabo, quod alcalino volatili junctum Spiritui ammoniacalem i' urina saltem, quem microcosmicum appellant, constituit. Quod autem Acidum hoc, de quo agitur, microcosmicum specificum sit, & ab omni alio Acido cum vegetabili, tum minerali diversum, sequentibus evinco: Primo quidem, quia alcalino junctum spiritui sale medium ab omni sale ammoniacal-

(*ll*) Oper. chem. Tom. I. pag. 804.

niacali diversum , cito in igne fluentem
 suppeditat. De quo vide egregium spiel-
 mannum (mm) . Secundo , quia spiritu al-
 calino putrefactione evoluto urina quidem
 Acidum prodit , Sed fixissimum , quod
 nulla destillationis ope expellendum in ca-
 pite mortuo relinquatur. De quo idem ,
 Spielmannus (nn) “ Maximam autem om-
 „ nino attentionem meretur sal Acidus,
 „ alterum salis nativi principium, is enim,
 „ quia principio inflammabili junctus
 „ Phosphorum solidum constituit , nec a
 „ violentissimo igne in vapores cogi po-
 „ test , fusus autem in aere per deliquum
 „ solvitur , & alcalinis , cum quibus non
 „ effervescit , junctus , salia media for mat
 „ ab omnibus hactenus notis diversissima,
 „ se se proprium , ab omnibus reliquis
 „ distinctissimum Acidum evidenter pro-
 „ bat. „ Optimi autem conditoris con-
 silio factum videtur , ut Acidum in nobis
 aliquod naturaliter existeret cum insigni
 ad conservandam machinam momento ,
 siquidem alcali ligat volatile , & a pu-
 tredine humores præservat. Dum istud ,
 quod Acidum inter & alcali intercedit ,

C 2

vin-

(mm) Pag. 77.

(nn) Pag. 79.



vinculum in morbis vel caloris vi , vel aliis ex causis dissolvitur, an non inde febres putridissimæ exoriuntur cum acutæ , tum illæ , quæ non infreque[n]ter morbis chronicis sub finem associantur? Re[st]e igitur summi in arte viri urinas etiam ægrorum curate adspiciunt cum propter multas rationes , tum vel maxime , an putridæ non excernantur , vel cito postquam in aper-tum aera profusæ sunt , computrefcant. Est enim hæc destruēti salis microcosmici , & malignæ putredinis nota certissima , & ad exhibendum ægro corticem Peruvianum cum Acidis , imprimis mineralibus , ar-repta medicum manu dicit.

II. ACIDUM INSECTORUM.

Si formicæ ablutione a fôrdibus repurgatæ ex retorta destillentur , transcen-dit spiritus evidenter acidus. L' ora una formicarum recentium uncias se spiritus acidi Spielmanno (oo) dedit. Sed hoc Acidum obtinetur etiam sive aqua , sive spiritu vini abluendo , sive hos ipsos liquo-res supra ipsas obstrahendo. Haud igitur mirum est , baculum , si formicarum nido immersus circumrotetur , brevi humectari ma-

(oo) Pag. 201.

madore Acidum subtile, volatile spirante, neque in obscuro latet ratio, cur flores cærulei nido formicarum injecti intra breve temporis spatum jucunda metamorphosi rubescant. Cl. Zimmermann (pp) duplex Acidum in formicis adstruit, subtilius unum, & volatilius, crassius alterum, & fixius. Nidus cum insecto in balneo utilis in paralysi, ceterisque nervorum morbis, spiritus formicarum acidus gutt. XX ad XL dosi egregium interne stimulans est in iisdem morbis. Externe reumaticis, artriticis partibus illinitur. Illustris Crantz (qq) Hartmann (rr). Sed & diureticum est hoc Acidum, & aphrodisiacum (ss).

An apes etiam, & fuci, vespæ, aliaque volatilia infecta suo gaudent Acido, quod individua cujusque animalculi fabrica specifice elaboratum sit. ?

SECTIO QUARTA.

DE ACIDIS FOSSILIBUS.

Cum de his spiritibus præstantissimi Chemicorum nostro ævo celeberrimorum tractatus in manibus sint omnium, pauca
C 3 tan-

(pp) Tom. II. cap. X. de formica.

(qq) Tom. I. pag. 118.

(rr) A Nro. 1922. ad 1026.

(ss) Onomatolog. med. complet. Tom. I, pag. 669.



tantum, ne Dissertatio nobilissimo Acidorum ordine trunca prodeat, delibabo.

I. ACIDUM SALIS.

Hoc Acidum in sale communi, sub quo illum fontis, gemæ, marinum intelligo, in sale ammoniaco, digestivo Sylvii, luna, & saturno corneis, aqua Regis, butyro antimonii, Mercurio vitæ, phlegmate vitrioli philosophico, Mercurio præcipitato albo, sublimato corrosivo, dulci, panacæa mercurii præsens est, cum primis vero e sale marino ope Acidi nitrosi, vitriolici, terrarum bolarium elicetur.

Acidum salis abstractione super novo & purissimo sale depuratum viride est, aut flavicans, cum oleis essentialibus non inflammatur, crocum martis corrodit, ab aliis Acidis haud attingendum. Hoc Acidum inter fossilia Acida subtilissimum, & penetrantissimum putredini potenter esistit. Tripla aquæ quantitate debilitatum, vel cum succo citri, cum melle commixtum, & penicilli ope applicatum specifica in scorbuto oris aquatrico virtute inclaruit. De reliquis ejusdem viribus Consule cel. Crantz (tt), & Hartmann (uu).

II. ACI.

(tt) Tom. II. M. M. pag. 109.

(uu) A Nro. 995. ad 999.

II. ACIDUM NITRI.

Hoc acidum in Nitro, Nitro cubico,
 Nitro flammante, Vitriolo argenti nitroso ,
 Lapide infernali , Aqua regia , Mercurio
 præcipitato rubro , arcano corallino , An-
 timonio diaphoretico continetur. Acido
 vitriolico de basi sua expulsum , si purum
 & concentratissimum est , rubrum, fumans,
 perpetuo mobile , aquæ avidissimum depre-
 henditur. Si mediocris sit fortitudinis ,
 soleinne illud Argenti , & Mercurii vivi
 menstruum , Aquæ fortis nomine , cum
 Acido salis Aquam regiam , qua Aurum ,
 & Platina solvuntur , constituit. Spir-
 ritus Nitri acidus , omnium Acidorum mi-
 neralium maxime causticus & corrosivus ,
 raro exhibetur , licet dari eodem , quo ,
 cetera , modo dilutus possit. Sed fre-
 quentior est spiritus nitri dulcis in medi-
 cina usus , licet minori , quam spiritus vi-
 trioli dulcis , dosi præscribi debeat. Vir-
 tus ejus alcalinæ acrimoniæ contraria in
 morbis putridis haud negligenda. Cete-
 rum spiritus nitri sive acidus , sive dulcis
 vix quidquam habet quoad vires medi-
 cas præ reliquis Acidis fossilibus singu-
 lare. Adhuc Nitrum nitratum paucis
 attingam. Quemadmodum omnis sal-

me-



medius Acidò supersaturari potest , ita & Nitrum. Solvitur igitur Nitrum purum in aqua pura , instillatur Acidum Nitri , facta evaporatione obtinentur Crystalli nitroſæ acidæ. Boerhave ad uncias octo Nitri præscribit guttas XXX Spirirus Nitri fumantis. Certe Nitrum nitratum egregium in febribus acutis remedium pollicetur , dum virtute Nitri media refrigerat , attenuat , virtute Acidi putredini , & humorum dissolutioni resistit. Et hoc forte modo spiritus Nitri acidus tutissime , atque aptissime corpori ingereretur.

III. ACIDUM VITRIOLI.

Acidum vitriolicum in Vitriolo viridi , cæruleo , albo , in sale ammoniaco secreto Glauberi , Tartaro vitriolato , arcano duplicato , sale polychresto , Prunellæ , mirabili Glauberi , Epsor ensi , Alumine , in sale absynthii cum Sulphure parato , in sulphure , in Mercurio præcipitato flavo seu turpetho minerali , &c. præsens est. Hoc Acidum ex vitriolo viridi ad albedinem calcinato solius ignis ope expellitur. Ex sulphure sub campana accenso Acidum vitriolicum sulphureum acquiritur sub nomine spiritus sulphuris per campanam. Acidum vitrioli est parte , quæ pro

proprie acida est, plenissimum, hinc inter Acida mineralia potentissimum, siue rite depuratum concentretur, excolor, & admodum ponderosum. Succinum Acidum salis, & nitri impervium huic patet spiritui, solutione granatino colore conspicua. Acidum vitrioli vel per se, sola aqua debilitatum, vel compositum in usum vocatur. Et illuc quidem pertinent: Phlegma, Spiritus, & Oleum Vitrioli, Spiritus Sulphuris per Campanam, huc Aqua Rabellii, Elixiria varia, Liquor Anodinus Mineralis, Spiritus Naphtae, Aether, Oleum Vitrioli dulce, Liquor Manchini. Phlegma Vitrioli quod ex Vitriolo martis calcinato destillationis ope facile dimissum primo loco obtinetur, in morbis putridis, biliosis ad gratam aciditatem potulentis, mixturis additur. Grata vero aciditas non est ad pharmaceutæ, sed ad ægri palatum examinanda. hinc seorsim, quod semel notari volo, Acida præscribuntur, & domi medicamentis immiscentur. Si vero necessitas urget, non tam de grata aciditate cogitandum est, quam de Acido in magna liquidi quantitate copiose ingerendo. Beatus Quarini, celeberis olim in hac urbe practicus, lagenam Acidum vitriolico plenam secum circumferebat, & magnas hu-
jut



jus spiritus doses clanculum ægrorum potibus infundebat. Spiritus Vitrioli, phlegmate generosior in eandem indicationem, sed imprimis in dissolutione humorum, & variolis confluentibus egregius. Vide cel. Hartmann (vv). Spiritus sulphuris per campanam ejusdem cum præcedentibus virtutis, singulare tamen aliquid habet in colica flatulenta, & tympanitide. Invenit Hales (ww), sulphuris vapore elasticitatem aeris insigniter imminui. Cum igitur spiritus sulphuris per campanam nihil sit aliud, quam sulphuris accensi condensatus vapor, & in dictis morbis de aeris elasticitate, & rarefactione minuenda omnium primo cogitari debeat, erraret is, qui his in casibus purum vitrioli spiritum spiritui sulphuris per campanam substitui posse arbitraretur. Vide Illustrissimum Præsidem (xx). Sed in immensum crescat oratio, hæc de Acidis vitriolico sufficient. Composita quoq; attinet de iis Spielmannum (yy), Crantzium (zz)

Hart-

(vv) Nis. 831. & 882.

(ww) Vegetabile Statcks chap. IV. pag. 126.

(xx) Capite de Hydrope in aphorism. 1251.

(yy) Experimento XXX III.

(zz) Tom II. pag. 59. & seq.

Hartmannum (*) confule. Pro croni-de subjungam.

VI. SALEM ACIDUM SUCCINI.

Succinum corpus variæ magnitudinis, & coloris, opacum, semipelucidum, compactum, durum, fragile, polituræ idoneum, vix odorum, insipidum, aqua gravius de utroque Regno participare videatur. Destillationis beneficio inde sib finem elicitur species salis acidi volatilis forma crystallina ; refert spiculas plumaceas. Solutione in aqua calida, & filtro ab oleo succini depuratur. Hic sal in morbis a colluvie serosa exortis egregius, præterea spiritu cornu cervi solutus in convulsionibus laudatur. Vide cl. Hartmann (**). En Collegæ optimi Acidi Historiam pro ingenii, & eruditionis tenuitate fideliter elucubrataim. Nihil quidem in hac sublime, nihil, quod novum, atque inauditum sit, continetur. Sed quid, quæso, expectare a tyrone aliud potuistis, quam, quod haetenus celeberrimi, & in omni scientiarum genere versatissimi Viri scriptis

(*) A Nro. 840. ad 849. tum Nis 526. 544. 1028.
1029.

(**) Nis. 520. 522. 623. 524. 261. 959, 1025. &c.



ptis, verbisque docuerunt? Etsi vero sa-
lium neutrorum, terrestrium, & metalli-
corum pertractatio non omnino extra Di-
fertationis meæ limites posita videatur,
omisi tamen, quia potissimum de Acido,
qua tali, scribere constitui. Interea si quis
sit, qui & hoc desideret, adjeci bi-
nam Tabulam sales fere omnes eni-
xos exhibentem.

F I N I S.



Tab. I.

	ACIDUM VEG. NATIV.	ACIDUM TARTARI.	ACETUM DESTILL.	ACIDUM MICROCOS.	ACIDUM SALIS.	ACIDUM NITRI.	ACIDUM VITRIOLI.	SAL ACIDUS SUCCINI.
ALCALI FIX. LIX.	Species Sal. Med.	TARTARUS TARTARISAT.	TERRA FO- LIATA TAR- TARI.	Species Sal. Med.	SAL DIGEST. SYLV.	NITRUM PURUM.	TAR. VITIOL. ARC. DUPLIC. SAL. POLYCH.	
ALCAL. FIX. MIN.	Species Salis Med.	SAL VEGETAB.	Species Terræ Fol. Tartar.	Species Sal. Med.	SAL COMMUNIS.	Nitrum Cubicum.	SAL MIRAB. GLAUBERI.	
SAL SODÆ.	Species Sal. Med.	SAL SEIGNETTI.	Species. Terræ Fol. Tartari.	Species Sal. Med.	SAL. COMMUNIS.	Nitrum Cubicum.	SAL MIRAB. GLAUBERI.	
ALCALI VOLATILE.	Species Salis Med. Ammoniacalis.	TARTAR. SOLUBIL.	SPIRITUS MINDERERI.	SAL AMMONIAC.	SAL MICROCOSM.	NITRUM FLAMMANS.	SAL AMMON. SECRETUS GLAUBERI	SPIRITUS SAL. AMMON. SUSCINAT. L.C.C. SUCC.
TERRÆ VARIE CALCAR.	Species Variae Salis terr.	Variae Species tartar. Solubil.	Species Salis Terr.		Species Salis mar. terrei.	Species Salis nitro- fi terrei.		
TERRA SALIS					Natrum marinum.		SAL CATHARTIC. EPSOMENS.	
TERRA NITRI.						Natrum nitrofum	Species Sal Selenit.	
TERRA ARGILLÆ.							ALU MEN.	

Tab. II.

	ACIDUM TARTARI.	ACETUM DESTILLAT.	ACIDUM SALIS.	ACIDUM NITRI.	ACIDUM VITRIOLI.
ARGENTUM.			LUNA CORNEA in aqua non solub.	LAPIS INFERNALIS.	Species Turpethi Mineral. Flav.
FERRUM.	TARTARUS MARTIS SOLUBIL.				VITRIOL. FERR. feu VITRIOL. VIRID.
CUPRUM.		AERUGO, feu VIRIDE ÆRIS.			VITRIOLUM CUPRI, feu VITRIOL. CÆRU.
PLUMBUM.		SACCHAR. SATURNI, ACETUM LITHARGYR.	SATURNUS CORNEUS in aqua solub.		
ZINCUM.					VITRIOL. ZINCI feu VITRIOL. ALB.
REGULUS ANTIMONII.	TARTARUS EMETICUS.		BUTYR. ANTIMONIL.		
MERCURIUS.			MERCURIUS PRÆCIPIT. ALB. MERC. SUBLIM. CORROSIVUS. MERC. DULC.	MERCURIUS PRÆCIPIT. RUBER. ARCANUM CORAL.	VITRIOLUM MERCURII. TURPETHUM MINERALE.

